



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,  
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è  
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem  
Accommodata**

**Worpitz, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

§. XV. [i. e. XIV]. De Effectis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)



am in causa formali servari; nec multum differunt in materiali; v. g. agri sunt lapidosi, ergo in iis vix quidquam excrescet. Materia Rhetoricæ sunt res omnes, ergo Rhetorica est latissima scientia. Corpus hominis est mortale, ergo & homo, qui fit ex corpore, est mortalis; sicut è contra à forma v. g. Animus hominis est immortalis, ergo & homo ex animo constans est immortalis, & aspirare debet ad immortalitatem.

Nota 2. Si ostendas aliquid fuisse causam hujus effectus totalem, tunc in consequenti etiam negare potes causam esse omne aliud v. g. Petrus solus occidit, ergo non Paulus.

#### §. XV. De Effectis.

Effectus est res, ab aliqua ex causis proveniens. Et quia quatuor sunt Causæ, etiam quadruplex est effectus, cum cuilibet causæ suus effectus correspondeat, nec aliter in effectuum cognitionem venire possimus, quam per causas. Unde quoties scire voles ad quam causam hic effectus pertineat, considera prius qualem causam habeat, & tum videbis in quo genere causæ sit effectus v. g. Bellum est effectus pacis, quia bellum oritur à pace; sed in quo genere causæ? ut hoc scias interroga v. g. quis efficit bellum an pax? nequaquam; igitur pax non est causa efficiens belli, sed milites juxta dicta de causis. Interroga ulterius quare ducatur bellum? propter pacem; ergo bellum est effectus pacis in genere causæ finalis, non in genere causæ efficientis. Effectus  
causæ



causæ materialis est id, quod *ex* vel *in* materia factum est. Effectus formalis est id; quod forma *constituit & denominat*. v. g. homo est materialis effectus corporis, quia fit ex corpore, est idem homo effectus formalis, quia anima constituit hominem, seu est ratio per quam homo est, & dicitur homo, & non aliud.

Modus ponendi argumentum est idem, qui in causis, ut prius in antecedenti ponatur effectus & deinde in consequenti causa. Hinc argumentum sumpsit Cicero pro Milone dicens: Clodio proderat Milonis Mors, & cædes, ergo verisimile est, quod ipsi fecerit insidias. Quòd si laus vel vituperium attribuitur effectui, etiam tribui potest causæ. Si autem nescis, quodnam inter duo sit causa, vel effectus, attende, quodnam ex illis duobus præcesserit, seu prius fuerit. v. g. dubitas an fatigatio an labor sit causa? vide quid præcedat, & cognosces quòd labor præcedat, quia ex labore sequitur fatigatio: sic ut suscipiamus bellum, solemus prius cogitare & velle pacem, quia propter pacem cupidam & desideratam bellum incipimus.

§. XVI. De Comparatione.

Comparatio est duorum inter se collatio cum aliqua illatione; seu est locus in quo duo inter se conferuntur & comparantur, eò quòd in aliqua re inter se conveniant v. g. in dicto, facto, modo, causa &c. ut ex iis tertium inferatur. Et quia potest vel majus cum minori,  
vel